

Et sane quoad primum, decretoria sunt Honorii verba: « Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet... *utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem quæ Dei sunt operantem, et humanam quæ carnis sunt exequentem* » (1); et iterum paulo post scribit, « *Duas naturas, id est, divinitatis et carnis assumptæ, in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise et inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes* » (Harduin. Acta, etc. t. III, col. 1534). Porro hanc fidei professionem commentario etiam addito descripsit Honorius ex celebri dogmatica epistola s. Leonis ad Flavianum scribentis: « *Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est* » (Ibid. tom. II. col. 294). Hoc autem testimonium cum prolatum esset in VI. synodo, legati Rom. Sedis adiecerunt: « *Ecce, benignissime Domine, manifeste duas naturales operationes inconfuse et indivise in D. N. J. C. præsens sanctissimus prædicat Pater* » (Ibid. tom. III. col. 1055); nec ullus repugnavit nisi Macarius archiepiscopus Antiochenus, hæreticus monothelita. Quod si in s. Leonis testimonio manifeste catholicum dogma de duplici operatione continetur, cur non continebitur in testimonio Honorii, qui non solum eadem usurpavit verba, sed idem præterea dogma clarius adhuc expressit?

Ad alterum vero quod attinet, non minus luculenta verba sunt quibus Honorius declarat se nolle edere fidei definitionem dicens: « *Non nos oportet unam vel duas operationes definiere prædicare* » (Epist. II. ibid. col. 1534). Imo tantum abest ut voluerit Honorius definire unam vel duplicem esse in Christo operationem, ut grammaticis id discutiendum reliquerit: « *Utrum autem, inquit pontifex, propter opera divinitatis, et humanitatis, una an geminæ operationes debeant derivata dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis* » (Epist. I. ibid. col. 1522). Cum igitur Honorius professus sit se nihil definire, cum voces declinaverit unius aut duplicis operationis, patet ipsum noluisse dogmaticam dare definitionem, etsi concederemus dogmaticas esse ejus epistolas, quod alii forsitan haud immerito inficiantur (2).

Cum igitur ex omnibus qui incusabantur pontificibus duo aut tres, fatentibus ipsis adversariis, supersint, qui cum aliqua veri specie in suspicionem venire possint, et exploratum sit neque hos ipsos in dogma-

(1) Epist. II. apud Harduin. Acta, etc. tom. III. col. 1534.
(2) Cf. card. Orsi op. cit. De irreformabili, etc. Tom. I. par. I. cap. 17. art. 2. § 5. Attamen Honorius est magis, imo unicus gallicanorum Achilles; Bossuetius lapsum Honorii maxime urget. Nunc vero adeo eliquata res est Honorii causa, ut præter hæreticos, uti Garnerius et Baluzius testantur, nullus jam fere sit, qui Honorio hæreseos crimen impingat. Vel ipse Natalis Alex. gallicanus acerrimus diss. II. in sec. VII. prop. III. statuit, Honorium ab hæresi tam vere excusari quam pie. Quid de ceteris rom. pontificibus dicemus quorum accusatio longe levioribus argumentis junctur?

tium errorem lapsos esse, merito concludimus ex ipso facto evinci inerrantia dono præditos a Christo esse rom. pontifices ex cathedra definientes. Nec enim absque divini præsidii munere fieri potuit, ut deficientibus ceteris apostolicis ecclesiis omnibus, sola romana Sedes ex tot retro seculis immota persisterit.

DIFFICULTATES. I. Obj. Saltem Honorius ab errore dogmatico purgari nequit; etenim ipse 1. epistolas dedit ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum, et proinde ad Cyrum patriarcham Alexandrinum, qui eo mediante eum quoque consuluerat in questione fidei, adeoque dogmaticas; 2. in his vero epistolis probat consilium Sergii et Cyri de indicendo silentio profitentibus duas in Christo operationes. 3. Improbavit epistolam synodicam Sophronii patriarchæ Hierosolymitani, quæ lecta, et orthodoxa habita est in conc. œcumenico VI. 4. Ineptum esse judicavit sentire et promere unam aut duplicem esse in Christo operationem (1). 5. Affirmavit se pari animo prædicare quod hæreticus monothelita Sergius prædicabat, finem priori suæ epistolæ his verbis faciens: « *Hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut et nos ea vobiscum unanimiter prædicamus* » (Epist. I. ibid. col. 1525). 6. Unam adstruxit in Christo voluntatem dum ait: « *Unam voluntatem fatemur D. N. J. C.* » (Ibid. col. 1519). 7. Nec obest, formulam in specie catholicam Honorium usurpasse, cum exploratum sit eadem formula, iisdemque Leonis verbis usum esse Sergium monothelitam dum in epistola ad Honorium significavit se ad Heraclium scripsisse ut permaneret « *in attrita patrum doctrina, quam omnes consonanter confitentur... Unigenitum filium Dei, qui veraciter Deus simul, et homo est, eundem operari divina et humana: et ex eo uno eodemque incarnato Deo Verbo, sicut jam sumus effati, inseparabiliter atque indivise omnem divinam atque humanam operationem procedere. Hoc nempe nos Leo Dei portitor instruit, manifeste perhibens: Agit enim utraque forma, etc.* » (Ibid. in epist. Sergii, col. 1518); nemo tamen propterea Sergium a monothelismo absolvit. Ergo.

Resp. N. A. ad 4. prob. D. Quin tamen epistolæ ille dogmaticum decretum aut fidei definitionem exhibeant, uti ex dictis luculenter patet, Tr. Secus N. Aliud autem est scriptum aliquod esse dogmaticum, aliud vero in ipso contineri dogmaticam definitionem. Alterum cum altero permisceri nequit (2).

Ad 2. D. Probat consilium Sergii et Cyri de indicendo silentio ex inconsulta ac improvida œconomia ab illorum vafritie deceptus, C. probat pravum ac subdolum eorum consilium in hæretico degenerate tra-

(1) Epist. II. apud Hard. tom. cit. col. 1531.

(2) Non sine animadversione dimitendum est, quod synodus VI. quæ sæpe adeo dogmatica vocavit scripta Sergii, Cyri aliorumque, nusquam tamen loquens speciatim de Honorii epistolis eas dogmaticas dixerit. Hinc Nat. Alex. in cit. Diss. in Hist. eccles. sec. VII. prop. II. privatam vocat epistolam quam ad Sergium scripsit Honorius, quod ex professo ostendit Roncaglia in animadv. ad cit. Natalis dissertationem; quodque pariter præstitit Thoma sinus diss. XX. in syn. sextam, n. 8. seqq.

dendo, quodque adhuc latebat N. Argui enim nequit Honorius in sua agendi ratione cum illis oculis hæreticis nisi nimia credulitatis, atque, ut aiunt, bonæ fidei, dum putavit illos sincere agere, quando impia moliebantur.

Ad 3. N. Sed cum Honorius fallaci persuasione sibi adblandiretur sese orientalibus pacem allaturum, si semel obtinisset silentium circa voces unius aut duplicis operationis, eodem modo ac vetuit Sergio et Cyro quominus unam prædicarent in Christo operationem, ita vetuit Sophronio ne adhiberet vocabulum duplicis operationis, ut ex ipsis ejus verbis elucet (1).

Ad 4. D. Ineptum esse judicavit sentire et promere duas operationes in ordine ad vocabula et prædicationem, C. in ordine ad veritatem catholicam N. Etenim præterquam quod incertum est utrum vox sentire que ex versione græca reddita est, reperiretur in originali latino quod perit, patet ex scopo Honorii conciliandæ pacis per suppressionem vocabulorum unius vel duplicis operationis, illam non ad rem ipsam, sed ad vocabula plane referri. Dogma enim catholicum de duplici operatione apertissime professum esse Honorium ostendimus: quamobrem qui fieri poterit, ut ipse nunc ineptum censuerit sentire unam aut duplicem esse in Christo operationem (2)?

Ad 5. D. Quod œcœnomicum silentium, C. quoad hæreticam illorum mentem N. Ut liquet ex dictis et ex toto contextu, cuius prolata verba necessario inferunt silentium hæcenus commendatum.

Ad 6. D. Unam adstruxit in Christo voluntatem humanam ad exclusionem pugnæ inter carnem et spiritum, C. divinam et humanam, seu divino-humanam N. Idque constat 1. ex verbis immediate insequebantibus; pergit enim Honorius: « *Quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitata... Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori* » (5). Constat 2. ex locupletissimis testibus. Joanne abbate, qui erat Honorio a secretis, ejusque nomine epistolam exaravit; Joanne IV, Honorii ab anni dimidio successore in apologia, ac s. Maximo martyre tum in disputatione cum Pyrrho, tum in epistola ad Marinum (4).

Ad 7. D. Formulam catholicam et Leonis verba etiam usurpavit Sergius, ad facilius decipiendum Ho-

(1) Præter allata Honorii verba, non minus clare quod contendimus evincunt quæ pontifex profert ut Sergio ac Sophronio suadeat repudiare novas voces, quæ « *noscuntur, ut ipse loquitur, sanctis Dei ecclesiis scandala generare; ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes nestorianos nos vesana sapere arbitrentur: aut certe si rursus unam operationem D. N. J. C. fatendam esse censuerimus, stultam eutylianistarum attonitis auribus demeritiam fateri poterimus* ». Apud Hard. loc. cit. col. 1525.

(2) Cf. Ballerin. De vi et rat. prim. cap. 15. § 9. num. 35 in not. (1).

(3) Apud Hard. loc. cit. col. 1519. et 1522.

(4) Cf. quæ scripsimus in Tract. De incarnat. P. II. cap. 5. art. 4. Prop. col. 1098 seqq. una cum adnotation. quæ illuc referuntur.

norium, C. eo quod catholice sentiret N. Nihil porro est quod magis excuset Honorium detegatque vafritiem hæretici Sergii, quam ipsa agendi ratio ab isto erga illum adhibita. Cum enim desperaret se fucum ei facturum, si hæreticum quod intus latebat virus evomisset, simulavit catholicam fidem, seque zelo catholice Ecclesiæ permotum, atque hinc indicendum esse silentium ostendere Honorio nisus est. Quod vero dissimulabat cum Honorio, vaferrimus veterator patefaciebat Heraclio et Cyro (1). Quid porro diversa hæc Sergii agendi ratio cum Honorio ab ea quam idem sectatus cum ceteris est, significat, nisi quod probe sciret aliam prorsus Honorio inhæsisse mentem circa catholicum dogma a sua, quam propterea tegere sategit? Catholicus igitur Honorius et catholica mente fidem expressit; contra vero Sergius fuit hæreticus, et hæretica mente catholice locutus est.

II. Obj. Si ita se res habet, erravit ergo concilium œcumenicum VI. quod 1. sexies damnavit Honorium, actione nempe XIII; eo quod ejus epistola ad Sergium dissentanea sit a patribus (Apud Harduin. loc. cit. col. 1531), mentemque Sergii in omnibus sit secutus ac dogmata confirmaverit (Ibid. col. 1534); quod ejus epistola in unam eandemque impietatem cum scriptis hæreticorum concurrat (Ibid. col. 1534); Act. XVIII. quod per eum perinde atque per alios dæmon disseminaverit hæresim unius voluntatis et operationis (Ibid. 1598); ibid. quod prædicaverit unam voluntatem et operationem (2); et rursum ibid. quod secutus sit Theodorum, Sergium, Pyrrhæ, etc. (Ibid. 1422). 2. Anathematizavit Honorium, ut hæreticos reliquos quorum nomina e sacris diptycis expunxit, ejusque epistolas una cum scriptis Sergii, Pyrrhi etc. flammis addidit. Ergo.

Resp. N. A. Ad 1. prob. seu probationum seriem D. Ex his evincitur Honorium damnatum fuisse ob œcœnomicam dispensationem suam, C. ob errorem in fide N. Non aliud colligitur ex ejusmodi damnatione, quam quod Honorius perversis aliorum consiliis conniverit, non resistendo uti par erat, sed per imprudentem silentii jussionem malum fovendo. Hoc silentio abusi hæretici a dogmate catholico de duabus voluntatibus et operationibus populos sensim sine sensu abducere moliebantur. Igitur non hæresis assertæ sed fote reus fuit; non consensionis cum

(1) Ut patet ex Ethesi vulgata sub Heraclii nomine et auctoritate, cuius tamen verus auctor fuit Sergius. Eam cf. apud Baronium ad an. 639. n. 9. qui integram exhibet, necnon ex eisdem Sergii epist. ad Cyrum apud Harduin. loc. cit. col. 1510.

(2) Col. 1414. Locus hic difficilior videtur: etenim postquam commemorati sunt a concilio Theodorus, Sergius, Honorius alique, prosequitur concilium: « *Omnibus hæreticis anathema, qui prædicaverunt et prædicant, et docent ac docturi sunt unam voluntatem et unam operationem in dispensatione Jesu Christi Dei nostri, anathema.* » Ex quibus videtur colligi et Honorium docuisse una cum ceteris unam in Christo voluntatem unamque operationem. At difficultas evanescit si observetur cum Garnerio, eandem unice oriri ex ratione interpunctionis. Nam anathema prius dicitur omnibus nominatim recensitis; tunc adjecto puncto subditur: *Omnibus hæreticis anathema.* Iterum adjecto puncto: *Qui prædicaverunt et prædicant, etc. anathema;* uti reipsa legitur cum hac ipsa interpunctione apud Harduinum, loc. cit.

hereticis, sed inconsultæ dissimulationis. Cumque dote infallibilitatis in fide asserenda utpote Ecclesie primas præditus esset, non confirmavit fratres suos juxta munus sibi a Christo Domino demandatum. Hanc stetit concilio mentem in damnando Honorio, præter Leonem II. in epist. ad Constantinum imperatorem, ubi causam affert cur et ipse concilii sententiam confirmans anathematizet et Honorium, qui, inquit, hanc apostolicam ecclesiam non apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed profana prodicione immaculatam maculari permisit (Ibid. col. 1475); seu etiam uti scribit ad episcopos Hispaniæ: « Qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit » (1); præter Leonem, inquam, testem habemus locupletissimum imperat. Constantinum Pogonatum, qui assidue synodi actionibus interfuit, nec parum causam catholicam juvit. Hic porro cui optime perspecta erat synodi mens, loquens de episcopis qui ecclesias perverse gubernarunt: « Hi sunt, inquit, Theodorus qui fuit Pharan episcopus; Sergius qui fuit nostræ a Deo conservandæ regie urbis antistes, ad hæc et Honorius qui fuit antiquæ Romæ papa, hujusmodi hæreseos confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator » (2). Ex quibus patet eum vocare confirmatorem hæreseos propter inconsultam œconomiam, eumque præterea arguere quod secum ipse pugnet, quia cum catholice reipsa sentiret in litteris, non iis tamen animis, quibus ad profligandam hæresim opus erat, et egit et locutus est (3). Certo si quis singula objecta concilii loca expendat nec unum offendet in quo dicatur anathema Honorio eo quod unam docuerit in Christo voluntatem.

(1) Apud Labb. conc. tom. vi. col. 1217. Licet hæc ipsa iam dederim in Tract. cit. De Incarn. l. c. attamen ut plena hic haberetur de Honorii causa disceptatio, nec cogere lectorem ad ea sibi comparanda ex illo tractatu, iterum illa hic in ejus commodum subjeci.

(2) In Edicto apud Harduin. loc. cit. col. 1447.

(3) Cf. Jo. Garnerium S. J. in Appendice ad notas capituli II. libri diurni rom. Pontificum, §. VI. n. 65. seqq.

PARS SECUNDA.

DE VERBO DEI SCRIPTO ET TRADITO.

Si Ecclesia, uti ostendimus, ea societas est, cui Christus Deus homo plenissime depositum doctrinæ suæ concedidit; si Ecclesia est a Christo instituta ut jugiter populos ad fidem ope sua sive adductos sive adducendos indubiis institueret documentis; si Ecclesia denique una eademque semper extitit et existit, et usque ad consummationem seculi in ministerio sibi commisso adimplendo, Christi, cujus personam sustinet, vires est præstitura, plane consequitur gentibus quibuscumque sive conversis, sive posthac convertendis non aliud sentiendum credendumque esse, quam quod eadem ipsis proposuerit Ecclesia,

quæ unice pro nobis proxima et adæquata esse potest credendorum regula et agendorum.

Porro Ecclesia quemadmodum viva voce a divino suo Conditorum atque ab interiore Spiritus sancti afflatu omnes fidei veritates ex ipso originis suæ et institutionis accepit exordio, sic easdem fideliter viva voce transmisit. Quemadmodum præterea hæc ipsa Ecclesia ex quo esse cœpit, vita vixit interiore fidei, spei et charitatis, sic eandem exteriore ministerio iis vitam omnibus communicavit quos Christo lucrifecit per verbi prædicationem ac in sinum suum recepit sacramentorum administratione aliisque admini-

Ad 2. Responsio patet ex dictis. Receptum siquidem antiquius fuit, ut hæreticorum nomine significarentur tam heretici proprie dicti, quam eorum fautores (Cf. *ibid.* n. LXIX); cum vero monothelitarum fautorem, etsi deceptus, se exhiberit Honorius, ideo a concilio ut hereticus damnatus est; ejus nomen e diptycis expunctum; scripta igni addicta eo quod ceteris exitium importaverint. Ita porro se gessit VI. synodus, quia nullum peccatum est quod fidei catholice quovis modo noceat in quod Ecclesia animadvertere non possit (1).

De Ecclesia ejusque supremo capite, romano pontifice, hæcenus. Quanti autem interfuerit hæc prolixius fortasse disseruisse, tum alias, tum præcipue in reliquis quas proposuimus tractationis hujus partibus quisque facile intelliget.

(1) Ex his patet necesse haud esse ad tuendum Honorium, ut confugiamus sive ad viliata acta conc. VI. sive ad epistolam imperatoris et s. Leonis II. supposititias etc. uti nonnulli etiam ex recentioribus facere consueverunt. Omnes enim peritiores critici, ut recte observat Roncaglia in *Animadv.* ad cit. *Dissert.* Nat. Alex. inaniter defendi Honorium fatentur ab hæreseos nota illi inusta, ex ratione quod acta sextæ synodi ad nos adulterata pervenerint; quoniam hodie vix est, ut subdit card. Orsi, l. c. cap. 26, qui Honorium in sexta synodo reapse damnatum fuisse neget. Sane qui legerit Garnerium in cit. Appendice sibi facile persuadebit nullo modo de ejusmodi adulteratione aut epistolarum suppositione vel tenuem suspicionem admitti posse.

Qui plura cupit de Honorio, ac de rom. pontificis infallibilitate universim, adeat quas identidem commemoravimus optimorum auctorum fontes. Non possumus tamen quin hic præcipue commendemus opus illud, quod hæc ipsa de re Græcorum XVI. Pont. Max. quem diu sospitem incolumemque Deus servet, jam pridem, dum in minoribus esset, divulgavit titulo: « *Il Trionfo della santa Sede e della Chiesa contro gli assalti de' novatori combattuti e respinti con le stesse loro armi.* » Roma 1799; quodque recens et pluries recusum, ac gallice etiam, germanice, hispanice atque hollandice versum magnum ubique plausum excitavit. In hoc quippe opere præclarissimus auctor ea logica methodi severitate, ea argumentorum vi ac doctrinæ copia pontificiam infallibilitatem, adversus neotericos et jansenianæ gregæ, vindicavit, ut rem plane confecerit. Ita nempe Græcorum XVI. quadraginta et amplius abhinc annis divinas Sedis illius prerogativas strenue propugnabat, quæ æternæ providentiæ consilio ab eo, nil tale cogitante, deinceps erat tenenda, ac tanta cum sapientia atque apostolici animi robore gubernanda.

culis, quibus Christus constituit gratiam suam sanctificantem una cum enumeratis virtutibus impertiri; quæ cuncta corpus hoc mysticum, ut ita dicam, informant.

Ipsamet porro Christi Ecclesia longe lateque diffundebatur vita integerrima vivens, suo fungens munere, martyres sanctosque in cœlum transmittens, priusquam objecta fidei libris committerentur. Hæc vero dogmata solo ministerio proposita, traditione sive orali sive practica tunc temporis servabantur. Oblata interea occasione et Spiritus sancti impulsu nonnulla hujus Ecclesie membra seu individua manus admoverunt commentariis seu libris edendis quæ tum Christi gesta et doctrinam referrent, tum ejusdem doctrinæ explanationes atque vindicias. Ejusmodi autem scripta in quæ aliqua ex parte relata sunt, quæ ad ea usque tempora viva tantum voce proferebantur, nullum potuerunt detrimentum afferre aut traditioni ipsi aut publico Ecclesie magisterio, quod ab ipsis independens omnino est. Quinimo libri qui identidem conscripti sunt, ad Ecclesie auctoritatem tanquam ad regulam proximam fuerunt exacti, quando Ecclesia eosdem recipiens suo veluti suffragio consignavit. Edixit enim eos libros veridicos esse, divinaque inspiratione conscriptos; ex iis canonem suum effecit, constituitque ut omnes exinde libros illos seu veraces, authenticos, divinitus inspiratos, et canonicos venerarentur, atque ex ipsis, se magistra, veritates inclusas quilibet derivaret. Hinc duplex illa regula et Ecclesie magisterio subordinata credendorum et agendorum, Scriptura et Traditio, quæ ad nos usque dimanavit. Quandoquidem vero temporis tractu plura ex iis quæ traditio primæva complectebatur, monumentis sunt consignata, factum est, ut Scriptura et hæc monumenta utpote mortua ab Ecclesie jugi vivoque magisterio vitam, ut ita loquar, adipisci semper debuerint, cum ejus tantum sit tum de veris ac genuinis Scripturis earumque legitimo sensu, tum de veris divinisque traditionibus judicare.

Quamobrem de Scripturarum traditionumque divinarum existentia et origine, deque ipsarum præterea Scripturarum inspiratione ac ceteris quæ ad utrasque

referuntur, infallibili auctoritate seu de fide nobis nisi per Ecclesiam nequit constare. Neque enim alia suppetit via. In hac porro fidei professione non distinguitur theologus aut quilibet vir doctus a quovis rudi fidei, cum omnes ex æquo ob eandem auctoritatem hos fidei articulos fide teneant. Hoc solum intercedit doctum inter rudemque discrimen, quod huic sufficiat assensum præbere suum iis quæ sibi ab Ecclesia traduntur; at virum doctum præterea deceat fontes ipsos ope scientiæ investigare, eos aperire, et efficere ne unquam adversariorum erroribus contaminentur, prout in quovis fere fidei articulo aut dogmate fieri consuevit. Theologus quippe prius exhibet in articulo quolibet Ecclesie doctrinam, deinde ejus veritatem vindicat ex Scripturis, conciliis, patribus, ceterisque fontibus seu instrumentis scientiæ suæ propriis, ac denique adversariorum difficultates disjicit; de quo suo nobis loco erit data opera pertractandum.

Hanc propterea methodum circa Scripturam ac traditionem sequi ipsi statuimus; quia quamvis illæ fontes sint, seu loca theologica ex quibus vir theologus suas haurit probationes, sunt simul objecta fidei nostræ, quæ proinde uti objecta reliqua ab Ecclesia credenda proponuntur. Equidem nobis proposueramus pro genetico, ut vocant, servando ordine prius de traditione quam de Scriptura disputationem habere, siquidem reipsa traditio Scriptura anterior est; cum tamen viderimus plura ex iis, quæ viva voce ab initio propagata fuerant, postea esse scriptis patrum monumentisque ecclesiasticis commendata, ne ordinem hæc ex parte invertere postea cogemur, prius de Scriptura sacra, deinde vero de traditione disserendum esse censuimus, ut sic continenti oratione persequi illa omnia possimus quæ ad hanc referuntur. Totam autem hanc controversiam in hac altera tractationis parte complectimur, cum par Scripturæ ac traditionis auctoritas sit, et ex æquo possit theologus tanquam ex fonte scientiæ hujus nostræ proprio argumenta promere sive ad dogmata constablienda, sive ad aliena placita refutanda. In duas sectiones eam dispertimur, in quarum priori de sacra Scriptura, in posteriori de traditione disseremus.

PARTIS II

SECTIO PRIOR. -- DE SACRA SCRIPTURA.

Sacra Scripturæ nomine significantur omnes et soli libri quos Ecclesia habet uti divinitus inspiratos, et in censum seu canonem suum retulit, omnibusque fidelibus ut authenticos, genuinos et Spiritu sancto afflante conscriptos exhibet, utpote qui Dei verbum præ se ferant. Ex hac notione intelligimus agendum a nobis esse de sacrorum Bibliorum *canonicitate*, ut vocant, eorumque divina inspiratione. Cum vero protestantes contendant sacram Scripturam adæquatam

et proximam esse credendorum regulam, imo et controversiarum fidei judicem prout a spiritu uniuscujusque privato, aut interiore Spiritus sancti afflato et impulsu subjectivo exponitur; ideo ostendendum præterea nobis est Scripturam sacram neque regulam proximam et adæquatam fidei esse posse, neque alium legitimum ejus interpretem esse nisi solam Ecclesiam. His adficienda sunt quæ ad ejusdem Scripturæ exegesis, versiones, lectionem spectant, non